



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 142. Bellum Regis Hungariæ adversus Imperatorem. Vienna obsessa

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1477.

annum milium (\*) nummum aureorum tributum Turcis pendere, ut Venetis ad Græciæ emporia navigatio tuta pateret. Scodrenses ferme omnes relicta patria extorres fieri satius esse ducebant, quam sub Turcarum tyrannide vivere; unde ad Rempublicam Venetorum confugiebant, a quibus perbenigne excepti sunt.

### §. CXLII.

*Bellum Regis Hungariæ adversus Imperatorem. Vienna obsessa.*

*Bonfin. 4.* *dec. 5.* *Cromer. lib. 8.* *en fin.* *Michov. l. 4.* *1.72.* **M**atthias Hungariæ Rex non alio ex fine ab armis adversus Mahomedem conquievisse videtur, quam ut celebratis nuptiis cum Beatrice, mox Imperatori bellum inferret; nullis enim moræ induciis maturiori consilio indulitis, Austriam infestis armis invadit, eam late devastat, ipsamque Urbem Viennensem arctissima obsidione cingit. Cum vero Fridericus, qui a bello ob sumptus in eo impendendos alienissimus, ac præterea militaris peritiæ omnino expers erat, rogaretur, ut pacem redderet, Matthias Cæsari eam concessit, iis tamen concordiæ legibus, ut Fridericus se omni jure ac titulo regni Hungarici abdicaret, &

Mat-

---

(\*) Apud alios, Historicos legitimus OCTO millia.

Matthiam in possessione Bohemici sceptri Saccul. XV.  
confirmaret, numeratis insuper centum A.C. 1477.  
& octoginta florenorum millibus. Ita  
rem narrant Scriptores Poloni paruin er-  
ga Matthiam affecti: Bonfinius tamen  
nihil præter antiqui foederis innovatio-  
nem, & centum ac quinquaginta milium  
aureorum sponsonem in pacis conditio-  
nibus expressum, iisque adimpletis Hun-  
gariæ Regem soluta urbis obsidione ad  
sua se recepisse testatur. Ceterum Six-  
tus Pontifex, Venetique eo ex tempore,  
quo Matthiam Imperatori bellum denun-  
tiasse compererant, annua centies mille  
nummum aureorum stipendia, quæ olim  
Matthiæ pro sumptibus belli Turcici as-  
signaverant, abrogabant, ne ei adversus  
Imperatorem opem ferre viderentur. (§)

### §. CXLII.

(\*) Lector consulat Spondanum in sua Con-  
tinuatione ad hunc annum §. 4. & sane Conti-  
nuatoris nostri nimiam fidelitatem, qua ferme  
omnia ex eo descriptis, simulque illius, ne di-  
cam amplius, oscitantiam mirabitur, qua ad-  
versus Imperatorem a Spondano iniquius pro-  
lata, non solum non emendavit, sed etiam  
auxit.